

† NECROLOGIA

† Ex̄m̄us et R̄m̄us P. Nicanor Mutiloa Ep̄.us Tirasonen. (1874-1946)<sup>1</sup>

(Prov. Hisp.)

Die 19 Nov. 1946 Turasione (*Tarazona*) in sua residentia episcopali in pace Domini obdormivit Ex̄m̄us et R̄m̄us P. Nicanor Mutiloa. Volentes eius vitae actuumque compendium pro *Analectis* conficere, non invenimus verba exordio magis apta quam quae in occasione eius obitus periodicum *El Pilar* scripsit: «Praelatus insignis et exemplaris, qui vita sua tam admirabili relinquit et religiosi et Antistitis imperitura vestigia. Licet eum appellare virum vere sanctum, quandoquidem eius vita et activitas qua Magister novitiorum suae Congregationis, qua moderator conscientiarum, qua Superior Provincialis, qua Episcopus semper hunc characterem distinctivum manifestabat. Pater Mutiloa erat homo totus Deo plenus, et hanc suam vitam intimam, hanc lucem, hunc ignem communicabat cum animabus quas dirigebat, cum operibus apostolicis quae aggrediebatur, cum ministeriis ad quae divinitus vocabatur». Quae verba referunt opinionem generalem eorum omnium, qui familiariter in vita eo usi sunt. Nos quidem cum nullo sacerdote suae dioeceseos locuti sumus qui non extulerit huius defuncti Praesulis sanctitatem genuinam et amabilem. Hinc non est dubium quin Nicanor Mutiloa in Hispania semper futurus sit inter purissimas Congregationis glorias.

Natus est in catholicissima Navarra Pampelone d. 10 Ian. 1874, et in Seminario urbis natalis linguam latinam et philosophiam scholasticam didicit. Annos natus 23 fortiter se vocatum sensit ad vitam religiosam in C. SS. R. amplectendam, et Beatissima Virgo quidem, ut ipse confitebatur biduo ante mortem, festo Immaculatae Conceptionis suae plenam de eo victoriam reportavit. Nil mirum igitur quod per integrum suam vitam erga hoc mysterium fuit adeo devotus, celebrando hanc festivitatem magnificentia haud communi, renovando quoque quotannis una cum



<sup>1</sup> Aliam imaginem defleti Episcopi Mutiloa videre potes in photographia magna Paganensi anni 1933: *Analecta XII* (1933), 236.

familiaribus suam erga Deiparam consecrationem, completos vero a proclamato dogmate Immaculatae Conceptionis 75 annos (1929) inusitato splendore commemorando.

Fecit suum tirocinium Navae Regis sub magno illo spiritus moderatori P. Chavatte, nuncupans vota d. 13 Nov. 1898. Tum Asturiam se contulit ad perficienda studia theologica. Ordinationem sacerdotalem recepit d. 23 Maii 1901.

Absolutis studiis per breve tempus fuit Socius Magistri novitiorum. Per aliquot annos qua zelans missionarius vicos montanos Asturiae, ut Grullos, Llamero, Arce, Entrevias, peragravit. Iam a. 1904 renuntiatur Praefectus studentium et Lector theologiae moralis, a. 1907 Magister novitiorum, a. 1915 eiusdem domus Navae Regis Rector. Celebritatem in tota civitate consecutus est assiduitate sua in excipiendis confessionibus et suis infirmorum visitationibus; quare postea, Navam rediens episcopali dignitate insignitus, exceptus est triumpho et vidit aream publicam suo nomine decoratam. In eadem urbe Navae Regis a. 1916 sua prudentia et auctoritate id assecutus erat ut cives festa iubilaria Matris de P. S. ut sua recognoscerent et admirabili studio frequentarent.

Post triennium rectoratus universam Provinciam gubernandam recepit per novennium. Vivet in subditorum suorum memoria ut Superior observantiae regularis studiosissimus, prudentia ac bonitate insignis. His annis Provincia crevit quinque novis foundationibus: *Santander, Carmona, Coruña, Vigo, Barcelona*. Ex officio interfuit Capitulo generali a. 1921. Furente persecutione visitavit omnes domos Mexicanas. In Venezuela tres novas domos acceptavit et singulas in Honduras, Costa Rica, Cuba. Rogatus a nostro Cardinali van Rossum misit in fine sui regiminis primos missionales nostros in longinquam terram Sinensem. Neque apostolatum nostrum specificum ullo modo a suis negligi sinebat, uti demonstrat numerus semper crescens missionum paroecialium; a. 1910 quippe erant 110, a. 1924 autem 194.

Apostolicus in Hispania Nuntius, hodiernus Cardinalis Fridericus Tedeschini, volens Ecclesiam providere Pastoribus optimis simulque Alfon-sianam familiam honorare, oculos suos posuit in Superiore Provinciali Mutiloa. Qui cum rescisset sibi mitram destinari: «Non eam accipiam, inquit, nisi obedientia constrictus». Revera Benedictus XV 17 Nov. 1927 Nicanorem Mutiloa nominavit Episcopum Barbastrensem<sup>1</sup>. Ultimum sacramenti Ordinis complementum consecratione episcopali ei contulit Nun tius Ap. cus supra laudatus in Matritensi templo Succursus Perpetui d. 29 Ian. 1928.

<sup>1</sup> Vide *Analecta VII* (1928), 9 rationem mere externam, cur P. Mutiloa fuerit tantum nominatus Administrator Apostolicus Barbastrensis et simul Episcopus tit. Hierapolitanus. Inde ab initio vere Episcopus residentialis Barbastri fuit.

Infra eius stemma episcopale leguntur verba: *Ex amore Iesu et Mariae*, et hunc duplarem amorem in scuto ipso produnt symbola SS. Eucharistiae et dulcis Deiparae de P. S. Imago. Haec sacra Effigies splendebat, fulgidae stellae instar, ubique in palatio episcopali novi Praesul, sive Barbastri sive (post translationem anni 1935) Tarazonae.

Vix d. 11 Mart. 1928 suam<sup>o</sup> dioecesim ingressus erat, cum statim pastoralem eiusdem visitationem incepit; nequid septem menses pleni effluxerant, cum gloriari poterat se omnes ducentas paroecias invisisse et in cunctis dioecesos sanctuariis marianis Sacrum litasse. In uno ex istis, in sanctuario benedictino Dominae N. del Pueyo, statim initio suaे gubernationis integrum suam dioecesim excelsae Reginae Caelesti consecrare voluit. Secuta est, Quadragesima anni 1929, magna missio per 15 dies in urbe episcopali per quattuor PP. Redemptoristas habita, in qua ipse quoque semper promptus erat ad excipendas fidelium confessiones.

Non est Episcopus spiritu Dei repletus, quin cordi habeat suum Seminarium. Talis etiam Episcopus Mutiloa erat, et cum luctuoso isto a. 1930 inimici religionis Seminarium Barbastrense invadere auderent et occupare, Episcopus heroicè restitit et tandem vidi tenaci suaे operae plenam victoriam concessam, Seminarium scilicet legitimo suo domino restitutum.

Hoc factum est mense Mariano anni 1935. Die 1<sup>o</sup> eiusdem mensis Pius PP. XI Antistitem Mutiloa de dioecesi Barbastro tam egregie meritum transtulerat ad sedem Tirasonensem (*Tarazona*), commitens ei insuper apostolicam administrationem ecclesiae Tudelensis (*Tudela*). Sollemnem suum in novam dioecesim ingressum Emus Mutiloa fecit d. 10 Augusti eiusdem anni. Festa millenaria in S. Atolani honorem magnifice peracta, novum monumentum Sacratissimo Cordi Iesu Tudelae erectum, missiones habitae per ambas dioeceses, quae teste Annuario Pontificio anni 1948 numerant catholicos 155 672 in paroeciis 140, concursus generalis pro his paroeciis introductus – sunt facta eminentiora administrationis novi Episcopi, cui Deus in nova sede concessit annos undecim.

Paulatim plentissimi Praesul vires erant exhaustae. Per tres menses lecto affixus permansit, dolores suos permagnos heroica sustentans animi fortitudine. Cum ei, iam quasi animam efflanti, quidam Crucifixi imaginem offerret, ut eam ultimum deoscularetur « eodem affectu, quem semper erga D. N. Iesum Christum nutrivisset », ter ex imo cordis affectu repetit: « Ita quidem, semper, semper, semper! » Post pauca minuta, recitatis cum praesentibus precibus *Angelus Domini*, spiritum meritis onustum tradidit.

Vita plena, vita pulchra, cuius particularia, manu habili conscripta, legentes omnes admiratione affident et ad tantarum virtutum heroem imitandum et invocandum impellent. Mire haec vita illustrat lemma stemmatis episcopalis P. Nicanoris Mutiloa:

*Ex amore Iesu et Mariae!*